

quæ in semet converti diximus, homo prioris locum tenet, cujus exstantia definitionis suæ exprimit veritatem.

CAPUT XX. — *De simul.*

Sequitur ut proprietatem verbi, quo simul esse quædam dicimus, exprimamus. Ratio enim videtur exigere, ut post prioris tractatum de his disputetur, quæ simul esse firmantur. Simul ergo dicuntur tribus modis: cum quælibet simul existunt uno tempore vel apparent, ita ut neutrum de duobus vel prius sit, vel alterum consequatur, sed utriusque ortus videatur esse communis, sicut calor et splendor in sole. Secundus locus est eorum, quæ naturaliter simul sunt, nullum tamen eorum præstat alteri: ut verbi gratia, si simplum et duplum ponamus, necesse est simul esse naturaliter, sed neque duplum facit ut simplum sit, neque simplum efficit duplum. Hoc loco nos confundere non oportet, ne quoniam cum de ad aliquid dictis tractaremus, id esse ad aliquid diximus, quod penderet ex altero, videamur nunc contra superius definita tractare. Omnia namque ad aliquid dicta, dici ex altero, non esse ex altero disputavimus: nec ullus error est, si quis verborum nostrorum pondera diligentius perscrutetur. Tertius locus est, quoties ex eodem genere manantia simul videntur esse natura, sed specie discernuntur: neque vero sibi in eo, quod dicuntur, aliquid præstant, ut est animal; idem genus est, sed species longe discreta. Nec vero aut volatile quidquam pedestri tribuit ut sit, aut volatili pedestre, aut omnino aliud alteri, in eo quod est, ullam substantiam subministrat; nullumque alteri aliud prius est, sed simul omnia ab animali, id est ab uno genere orta nascuntur.

CAPUT XXI. — *De Motu.*

Omnis immutatio quæ μεταβολή græce est, fit tribus modis: aut ex non subjecto in subjectum, ut est ortus vel nativitas, quam Græci γένεσιν vocant; aut ex subjecto in non subjectum, ut est interitus vel corruptio, quam φθοράν Græci dixerunt; aut ex subjecto in subjectum, ut est motus, qui græce κίνησις dicitur. Sed et ipse motus tres species habet, id est, incrementum, imminutionem, commutationem qualitatis sive loci. Hæc a Græcis αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, sive φορά dicta sunt. Namque commutationem circa locum, φοράν dici voluerunt, quam nos quoque transgressionem maluimus dicere, secuti doctores. Verum hunc ordinem, quem nos in præsentī, quasi discrepantes ab eo libro, qui categoriarum dicitur, diligenti examinatione digessimus, ipse quoque Aristoteles in naturalium libris exposuit; in categoriis autem secutus docendi compendium, speciem pro genere, id est motum pro immutatione non dubitavit assumere: ut motui diceret quasi generi sex species esse subjectas, γένεσιν, φθοράν, αὔξησιν, μείωσιν, ἀλλοίωσιν ποιότητος¹,

¹ Vocem Ποιότητος non fert Aristoteles. M.

κατὰ τὸν τόπον μεταβολήν. Hæc nos latino sermone ortum diximus, interitum, augmentum, imminutionem, commutationem qualitatis, transgressionem loci. Hæc sex species omni a se ratione discretæ sunt: nisi forte cuiquam parum docte intelligenti, qualitatis commutatio, id est ἀλλοίωσις, etiam cæteris existentibus fieri videatur, ut cum nascitur aliquid, aut interit, aut crescit, aut minuitur, tunc facta dicatur etiam commutatio. Sed id falsum ratio docet: nam quæ crescunt aut minuuntur, quantitate immutantur, non commutantur qualitate. Commutatio enim proprie est qualitatis. Meminisse autem nos oportet aliud esse immutationem, aliud commutationem. Namque immutatio genus est, commutatio species subjecta motui, quam immutationis speciem diximus. Denique ut horum sit manifesta discretio, geometricum ponamus exemplum. Si tetragonum majus, quod intra depictum est currentibus per medium lineis in brevem tetragonam partiatis, eique post unum breve tetragonum detrahas; minuisi tetragonum majus: at si detracti loco addas gnomonem, qui hemicycli specie ponitur, plus tetragono majori, quam detraxeras, reddidisti: idque quantitatis est, non qualitatis, et immutationi potius quam commutationi tribuitur, eoque a se plurimum differunt. Fit autem differentia rerum omnium tribus modis: aut materia, aut opere, aut utroque. Materia, si sint annuli similes duo, unusque sit aureus, alter argenteus; opere, si ex auro dissimiles annuli fabricentur; utroque, si annulus sit aureus, et stilus argenteus. Claret igitur hæc immutationis species, nec materia sibi, nec opere, nec utroque conjungi: adeo autem sejunctæ sunt, ut earum nonnullæ etiam sibi contrariæ videantur. Quis enim dubitet γένεσιν φθοράν, id est ortui interitum esse contrarium, augmento imminutionem? Ipsa quoque commutatio sive qualitatis sive loci, licet non ex eodem specierum numero, tamen habent quod sibi contrarium videatur. Nam commutatio qualitatis est, cum ex albo fit aliquid nigrum vel album de nigro, quæ sibi manifeste contraria sunt. Loci quoque commutatio, quam transgressionem diximus, superiorum et inferiorum contrarietatem patitur, et propterea eam quoque habere contraria apparet.

CAPUT XXII. — *Conclusio operis.*

Hæc sunt, fili charissime, quæ jugi labore assecuti, cum nobis Themistii nostra memoria egregii philosophi magisterium non deesset, ad utilitatem tuam de græco in latinum convertimus; scilicet ut ex iis quoque bonam frugem studii a nobis profecti suscipias, si te non dissimilem nostri, aliarum rerum quæ lubricæ atque inanes sunt, cupiditas retentaverit. Nihil namque omisimus in hoc libro quod posset aut delectare jam doctos, aut indoctos manifestius erudire.

PRINCIPIA RHETORICES^(a).

CAPUT PRIMUM. — *Oratoris officium.*

Oratoris officium est, proposita quæstione civili duntaxat, primum ipsam intelligere, generalis sit an specialis, simplex an conjuncta ex pluribus, absoluta an comparativa. Deinde cum intellexerit, invenire in ea congruentes partitioni locos, et his morales seu naturales accommodare sententias. Exinde judicare de inventis, repudiare quæ parum commode occurrerint: tum iis quæ judicio examinarit, dare ordinem certum. Etenim quamvis multa pertinentia inventa sint, tamen nisi pro qualitate et magnitudine sua, certis et quasi legitimis sedibus collocentur, aut oberunt, aut non magnopere proficiunt. Subinde ordina-

tioni rhetor explicationem rerum commodare debet. Quæ duabus partibus constat, structuræ qualitate et quantitate verborum. Hæc omnia memoria suscipit, quam et plerique Græcorum, et M. Tullius in primis oratori affirmat necessariam, hoc, ut opinor, modo: « Venio nunc ad thesaurum rerum omnium memoriam; quæ nisi custos inventis, ordinatisque rebus adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi præclarissima sint, in oratore peritura. » Memoriam pronuntiatio sequetur, res, ut Demostheni videtur, inter oratoria officia vel prima vel sola: quæ consistit duobus, motu corporis et sono vocis. Hæc tantum summam tetigisse satis est, quæ sunt oratoris officia. Reliquum est videre quid sit finis.

CAPUT II. — *Quis sit finis oratoris.*

Finis est, ut opinor, in omnibus rebus, ad quem

(a) Opusculi hujus exemplar ullum Ms. non reperimus. Auctor græca vocabula citra necessitatem usurpat, contra morem Augustini.

cuncta referuntur, cujus causa fiunt reliqua omnia: a Græcis τέλος dicitur. Quod etiam in philosophorum pene omnibus disputationibus quæritur, quis sit finis bene videndi; virtus, an voluptas? Finem igitur proprium oratoris officii alius alium probaverunt. Quibusdam enim visum est, summam oratoris officii in bene dicendo esse, quibusdam in recte dicendo, quibusdam in persuadendo consistere. Quinetiam illi qui bene aut vere dicere finem oratoris officii putaverunt, non abnuunt tamen horum ipsorum finem esse, persuadere: ut sit finis oratoris officii, bene dicere; finis bene dicendi, persuadere. Ergo quasi consensu omnium finis est oratoris officii, persuadere. Hoc quia in calumniam videbatur posse recedere (non enim semper persuadet orator; nec si aliquando persuadere non possit, facultatem et nomen oratoris amittit), addidit Hermagoras, quo calumniam effugeret, finem esse oratoris officii, persuadere, quatenus conditio rerum personarumque patitur. Alia subinde ex eodem verbo persuadendi calumnia nascitur, inventa sane a Platone, tractata multum in Gorgia; sed post ac multo impudentius a quibusdam technicis obrectantibus Hermagoræ frequentata¹. Negant quippe proprium esse finem oratoris officii persuadere, sed communem pene cum universis: nam et mathematicos de iis, quæ in notitiam ipsorum ceciderunt, persuadere; et medicos de iis, quæ in arte ipsorum contineantur, persuadere; opifices etiam et tabernarios, fabros, et si qui hujusmodi sunt, posse de eo, quod agant, cuivis probabiliter persuadere, quasi ratione faciant: ergo non esse integrum finem, qui solam communitatem habeat, careat proprietate: esse actum persuadendi communem cum multis, et idcirco non esse persuadere proprium finem oratoris officii. Huic quoque calumniæ Hermagoras percommode obsistit. Dicit enim esse oratoris officium, persuadere, quatenus rerum et personarum conditio patitur, duntaxat in civilibus quæstionibus: nam medicorum et philosophorum et cæteræ hujusmodi quæstiones extra regulam civilem, quam πολιτικὴν Græci vocant, collocantur.

CAPUT III. — *De civilibus quæstionibus, et differentia generalium et specialium.*

Sunt autem civiles quæstiones, quarum perspectio in communem animi conceptionem potest cadere, quam Græci ἐννοίαν vocant. Verum ut facilius intelligas, quæ sit hæc ipsa conditio quam demonstratam esse volumus, omnia quæcumque hujusmodi sunt, ut ea nescire pudoris sit, et quæ vel ignorantes, quasi sciamus tamen cum simulatione præ nobis ferimus, quotiescumque in dubitationem vocantur, efficiunt civilem quæstionem. Quod dico hujusmodi est, si de pondere alicujus rei quæritur, si non videaris scire quot librarum sit, non est erubescendum; si de longitudine non videris scire quot pedum sit, non est erubescendum; si de cæteris hujusmodi rebus quas persequi longum est: et ideo quotiescumque in dubitationem venerint, licet faciant quæstionem, tamen civilem facere non possunt. At ubi quæritur, sitne aliquid justum an injustum, honestum an inhonestum, laudandum an reprehendendum, præmio afficiendum an supplicio, utile an inutile, et si qua hujusmodi sunt; nemo non etiam extra omnem artem et scientiam collocatus erubescat, si hæc nescire videatur. Inde est quod omne persuasum habeant, aut certe aliis persuadere non dubitent, posse se concipere animo discrimen justum et injustum, honestum et inhonestum, cæterorumque quæ supra diximus; et idcirco quæ dubitationes in hujusmodi rebus oriuntur, civiles vocantur quæstiones, quasi non propriæ paucorum, sed communes universorum. Quæ cum ita sint, meritoque communi conceptione animi perspici possint, quæstiones quæ διὰ τῆς ἐννοίας deprehendi possunt, civiles vocantur et sunt, in quibus versari et perstare debet orator. Duo sunt primi et quasi generales civilium modi quæstionum, quorum alter θέσις, alter

¹ Addunt Benedictini verbum, *sunt*, quod nullibi in Edd. reperimus. M.

ὑποθεσις vocatur a Græcis. Nos priori nomen nisi græcum dare non possumus, ne posteriori quidem, quam quod videamur dedisse: dedimus quippe; controversiam dicimus (α), quod nomen tam in τὴν θέσιν, quam in τὴν ὑπόθεσιν potest cadere: in utroque enim quæstio, hoc est controversia est. Porro τῆς ὑποθέσεως significatio, et declaratur ex ipso composito nomine, et est aliquid quod est ὑπὸ τὴν θέσιν, id est sub illo genere quasi species. Thesis est res quæ admittit rationalem considerationem, sine definitione personæ. Hypothesis est seu controversia, ut improprio nomine utamur, res quæ admittat rationalem contentionem cum definitione personæ. Melius autem declarabuntur sub exemplo: thesis est quæstio hujusmodi, an navigandum, an philosophandum; hypothesis est quæstio hujusmodi, an decernendum duelli prælium. Nec desunt qui hinc etiam Hermagoram crimentur: et Apollodorus in primis, qui negat quidquam aliud esse hypothesisin, quam thesisin, et nullius momenti esse discrimen personarum, quanquam utrumque hoc genus quæstionis Hermagoras distinxisse videatur: non minus enim infinitam et interminatam esse hypothesiscos quam theseos quæstionem. Nam cum quæritur, sit necne animadvertendum in Orestem, non personam esse, quæ faciat quæstionem, sed factum; et nihil interesse an ita quæritur, sit necne animadvertendum in matricidam; quod si ita est, nihil inter hypothesisin, thesisinque distaret. Ad hæc nostri, primo omnium qualitatem personarum quæstionibus differentiam afferre, ipsisque etiam hypothesisibus, id est controversiis sæpe evenire, ut punita et impunita, honorata et inhonorata, quædam relinquenda videantur, non tam ex rerum qualitate, quam qualitate personæ. Deinde etiam illo distare hæc duo genera quæstionum, quod in thesi perspectio sit alicujus rei qualis sit, in hypothesisi contentio; et quantum interest inter perspectionem et contentionem, tantum inter thesisin et hypothesisin esse discriminis. Deinde in thesi quæri, quid omnes oporteat facere; in hypothesisi, quid unum aut alterum aut paulo plures, certe definitum hominum modum. Et etiam illa differentia accidit, quod in thesi, quasi ignorantes quærimus quid sit optimum factu; in hypothesisi, quasi scientes defendimus. Tum quod omnis thesis de futuro est; hypothesis raro, quin imo nunquam nisi de præterito, aut eo quod jam agatur, facit quæstionem: nemo enim neque reus fieri potest, nisi fecerit aut fecisse dicatur, neque præmium aut aliquid hujusmodi petere; nisi jam meritis sit, aut meritum esse se contendat. Huic loco opponunt tyrannidis et proditiois reos, et veneficii imperati, et si qua in eundem modum excogitari possunt: in quo studio criminandi falluntur. Nam et in eo quod proditiois reus est, non de futura re quæritur, id est de ipsa proditioe, sed de eo an susceperit consilium proditiois, quod utique præcessit; et de tyrannide æque, an cogitarit tyrannidem; et de parricidio, num perpetrato; et de veneficio. Ergo semper aut de præterito, aut de præsentibus in hypothesisi nascitur quæstio; in thesi contra nunquam nisi de futuro: quæ si ita sunt, satis utriusque declarata est diversitas.

CAPUT IV. — *Quæ sint circumstantiæ controversiam facientes.*

Nunc quoniam quidem de differentia generalium, et specialium quæstionum satis dictum est, separataque thesi ab hypothesisi, ut perinde distaret re ac nomine; consequens esse videtur dicere, quid sit quod hypothesisin, id est controversiam efficiat. Est igitur circumstantia rerum quam περίστασιν Hermagoras vocat, sine qua ulla omnino controversia non potest esse. Quid sit autem περίστασις, facilius partitione quam definitione ejus deprehendi potest. Sunt igitur partes circumstantiæ, id est περιτάσεως, septem, quas Hermagoras μόρια περιτάσεως, vocat, Theodorus στοιχεῖα πραγμάτων, id est elementa: quod ex eorum conjunctione

(α) Cicero thesisin propositum aut consultationem vocat hypothesisin causam aut controversiam.

quæstiones fiant, perinde atque ex conjunctione litterarum, nomina et verba fieri videmus. Sed sive στοιχεῖα sive μόρια rectius dicantur, nos omissa controversia nominis, quæ sint ipsa dicamus. Sunt igitur hæc, quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis: quas Græci περιστάσεως ἀφορμὰς vocant. Horum autem omnium, aut rationalis plurimorum congregatio conflatur quæstionem, aut legalis. Sed nimirum singularum proprietas exprimenda est. Quis, significantiam habet personæ, quæ spectatur duobus modis, ex nomine et qualitate. Ex nomine, hoc modo: Quis? Camillus. C. Marius, L. Sulla. Ex qualitate: Quis? dives, pauper, imperator. Est autem definita in nominibus, infinita in qualitatibus personarum perspectio, quando in appellationem nihil præter nomen cadit; in qualitatem et fortuna, et ætas, et conditio, et disciplina, et cætera quæ sunt infinita numero. Quid significantiam habet rei, quæ facta ab aliquo, vel dicta, vel cogitata, fieri, dici, cogitari, futurum esse, dictum, cogitatum iri videatur, bona vel mala, honesta vel inhonesta, justa vel injusta, utilis vel contra, necessaria vel parva, magna vel parum usitata vel nova. Quando, temporis significationem habet; velut interdiu ac noctu, sacro an in irreligioso die: etiam ex accidentibus, quæ interdum dant tempori suam qualitatem, velut in belli an pacis tempore, in seditione an in concordia, in libertate an in dominatione; et si qua in eundem modum cadere possunt. Ubi, loci significationem habet; veluti in civitate an extra, in sacro loco an in profano, in mari an in terra. Cur, significat causam faciendi, vel dicendi, vel cogitandi, res (ut mea fert opinio) ad constituendam quæstionem in primis necessaria. Quemadmodum significationem habet ex facti, vel quod fiat, futurumve sit demonstratione; veluti clam, palam, per vim, per dolum; et si qua sunt similia, in eundem modum cadunt. Αφορμὰς, quas nos adminicula dicimus, demonstrationem habent earum rerum per quas factum esse aliquid dicatur; ut est laqueus, gladius, venenum, litteræ, internuntius, mandata, servus, conscius, sicarius. Horum articulorum, ut supra dixi, aut omnium aut plurimorum rationales incursus faciunt civilem quæstionem.

CAPUT V. — *Quæstiones rationales sunt quatuor modis.*

Rationales quæstiones quas Hermagoras λογικὰς vocat: melius enim puto siceas cognominari quam verbales; quia λογικὰ non ex verbi, sed rationis significatione appellatæ sunt a technicis, cum alioquin λόγος interdum verbum significet, interdum rationem: igitur rationales, sive λογικὰ quæstiones fiunt modis quatuor. Hoc enim in illis quæritur, an sit, quid sit, quale sit, an induci in iudicium debeat. Ubi quæritur an sit, genus id quæstionis Hermagoras σοχασμὸν vocat: nos conjecturam possumus dicere. Item Theodorus περὶ τῆς οὐσίας, id est de substantia. Nihil enim factum videri potest, quod non habuerit substantiam, neque futurum, quod non habiturum sit substantiam. Quidam hoc genus quæstionis ex eo, quod per id quæritur, an sit vocaverunt. Altera rationalis est quæstio, quam Hermagoras finem vocat; Theodorus περὶ τῆς ἐξουσίας, id est de proprietate; quidam, quid sit; nonnulli, de eodem et altero, περὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑτέρου. Tertiam rationalem quæstionem uno nomine omnes qualitatem vocant. De quarta, magna contentio est, quam supra de inducendo iudicio diximus. Plerique enim negant esse eam, quando id agant, ne res possit venire in quæstionibus. Sed inter omnes Hermagoræ præcellit auctoritas, qui et quæstionem putat, et in primis necessariam, et agitari in foro multum, et adhibendam etiam in cæteris statutis primo statim congressu, si causæ conditio patiatur. Nihil enim statuto tam interesse eorum quibus iudicium intenditur, quam declinare iudicium. Porro ipsam declinationem iudicii habere nonnullam iudicii speciem. Nam si ita res ageretur, ut quoties nollet aliquis causam iudicii, esset hoc in ipsius potestate; nulla erat quæstio. Nunc autem cum semper existant, qui impediunt, ipsa illa contentio qua alter in iudicium vocat, alter recusat iudicium,

facit quæstionem, quod controversiæ genus Hermagoras ἀσύστατον appellat, nostrorum paucorum prehensionem, plerique translationem vocaverunt, utrique sane rationem secuti. Qui reprehensionem exierunt, eo scilicet, quod cum maxime inducatur iudicium, causa reprehenditur, et quasi retrahitur: qui translationem, quod reus non omnino excuset actionem, sed in præsentem conditionem actionis excuset, in aliud genus iudicii transferat, vel habeam jam, vel futurum.

CAPUT VI. — *De quatuor quæstionibus legalibus.*

Sunt item aliæ quæstiones quatuor, quas inventores νομικὰς, nos legales appellamus. Νομικὰ sunt scriptum et voluntas, quod illi βῆτον καὶ δεινόειον appellant; ἀντινομία, quam nos contentionem legum contrariarum vocamus; ambiguitas, quam illi ἀμφιβολία collectio, quam illi συλλογὴν vocant. Verum hæc post diligentius tractabimus, ita ut significantia cuiusque evidentius exprimat, et species generibus addatur. Interim mihi videtur esse dicendum, quibus omnis quæstio articulis, et qualibus modis subinde adstricta, an perfectam speciem sui veniat.

CAPUT VII. — *Quibus quæstio articulis neclatur.*

Est aliquod dictum quod Græci φάσιν nominant: id scinditur in duas partes, et est ejus alterum ἀίμα, et alterum κατάφασις, intensionem verbo factam possumus dicere, id est verbum quo crimen intenditur: veluti, Pulsasti, prodidisti, occidisti. Quod autem ἀποφασίον, nos abnuntiam criminis ejus, quod verbum accusator intenderit; veluti, Non pulsavi, non prodidi, non occidi. Ex his duobus dicto et responso, vel intento et negato, media nascitur quæstio, hoc modo: Intentio est, Occidisti; negatio, Non occidi; quæstio, an occiderit. Sed ut jam a conjecturali modo recedamus: intentio est, Injuria occidisti; negatio, Non injuria occidi; quæstio, an injuria occiderit. Vel in aliquo legali statu: intentio est, Non licebat tibi hoc facere per legem; negatio est, Licebat mihi facere per legem; quæstio est, Licueritne hoc facere per legem. Hanc quidam, ut nos usque adhuc diximus, quæstionem vocaverunt, quidam statum nominaverunt, ab eo videlicet quod in ea, et exordiam quæstionis, et summa consisteret. Primo enim quasi eminens, cum hinc dicatur factum esse, inde non esse factum; nulla pugna est, sed quasi futuræ pugnæ meditatio. Deinde cum proprius accessum est, et quasi ad manus ventum; altercationi et contentioni mutuæ media quæstio intervenit, sit necne factum: in ea uterque consistit, omisso quod ante dicebat. Unde ei quæstioni, status nomen impositum est. Hoc idem Theodorus κφάλαιον appellat, translatione usus, videlicet a principali parte corporis: quod in hoc etiam complexu duorum, quæ utrinque dicta sunt, quasi caput quoddam totius controversiæ efficitur. Consequens huic locus est, aut perinde, aut magis etiam necessarius, quo demonstratur quid causa, quid continens, quid de quo contenditur. Causam Hermagoras αἴτιον vocat; συνέχον continens; de quo contenditur τό χρινόμενον. Est ergo causa, quæ nisi præcesserit, controversia fieri non potest. Quod dico tale est: Abdicatur a patre filius: controversia idcirco non est, quia nulla, cur abdicaretur a patre, causa præcessit. Denique addamus causam, et statim controversia effecta est. Juravit se non ducturum uxorem, et abdicatur. Quod juravit, αἴτιον factum est, id est causa cur abdicationem mereretur. Συνέχον vel continens est, quod ad refutandum αἴτιον, id est ad refellendam causam videtur afferri, ut est in hac materia: Militem qui juraverat se deserturum, imperator occidit, et reus fit cædis: hic enim αἴτιον, id est causa iudicii est, quod occidit; neque enim fieret reus, nisi occidisset: συνέχον, id est continens, est id propter quod occidisse dixit, jusjurandum scilicet militis, quod se deserturum juraverat. Hoc interdum συνέχον Hermagoras, id est continens appellat, ab eo quod omnis rei defensi ab eo contineatur interdum αἴτιον αἰκίου vocat quasi causam causæ: nam quemadmodum reatus causa est quod militem occidit; ita

occidendi causa, quod miles deserturum se esse juravit. Nunc quoniam scimus quid sit causa, quid continens, videamus etiam quid sit de quo contenditur, id est quid sit τὸ κρινόμενον. Est autem nihil aliud quam exploratio continentis, τοῦ συνέχοντος. Quod dico tale est (etenim in eadem controversia perseverandum puto, quo sint lucidiora quæ tradimus) : αἴτιον est quod occidit militem imperator; συνέχον est, quo reus nititur, id est ratio propter quam se occidisse dicit; est autem quod miles juravit se deserturum : κρινόμενον est, examinatio hujus ipsius, quod ad defensionem reus attulit. In quo ita quæritur, num alia causa imperatori fuerit, cur occiderit militem : et hoc prætextitur, ut videatur, non quia juraverit, occisus, sed quæque vel simultatis vel invidiæ causa. Poterit etiam hoc modo articulus iste tractari, an etiamsi juraverit, parum tamen hæc justa causa fuerit, cur debuerit occidi : et tota perfectio totius συνέχοντος, quod ad αἴτιον afferitur, κρινόμενον vocatur. Evenit tamen nonnunquam, ut in una controversia non simul αἴτιον et συνέχον et κρινόμενον, sed sæpius ipsa omnia per vices revoluta tractentur; ut in hac controversia : Reus est Ulysses lege reipublicæ, quod procos occiderit. Hic enim αἴτιον est, quod occiderit; συνέχον, quod eos qui bona sua depopulabantur, et pudicitiam uxoris insidiabantur, occidit; κρινόμενον est, namquid tametsi hæc res præcesserit, alia tamen causa, quam prætextit, occiderit? vel, numquid ne pessime quidem de se meritos, indemnatos debuerit occidere? Deinde ad hoc κρινόμενον, aliud συνέχον affert Ulysses, quo dicat se jussu Minervæ interemisse. Deinde ad hoc ipsum συνέχον fit κρινόμενον, quo quæritur utrumnam propter jussu Minervæ occiderit, et in tali re ne Minervæ quidem obtemperare debuerit. Est autem αἴτιον proprius accusatoris locus, συνέχον defensoris, κρινόμενον utriusque commune.

CAPUT VIII. — Modi controversiarum.

Subinde dicendum puto, quemadmodum et quot modis controversia ἀσύστατος fiat. Tametsi ne dici quidem controversias oportet, quæ statum non habent, sed πλέγματα irrationabilia, id est ἀλογα. Fiunt autem ἀσύστατα modis quatuor : unum cum aliquid deest ex circumstantia : quæ autem vis sit circumstantiæ, ut supra diximus; id est cum quæstionibus, aut causa, aut persona, aut locus, aut aliquid eorum deest, quibus effici circumstantiam diximus. Hoc autem genus asystati in scholasticam materiam non potest cadere, idcirco quia esse non poterit ullum thema deficiente circumstantia. In veritate tamen nonnunquam evenit, ut aliquid horum desit, et per imprudentiam actoris profligata causa veniatur ad iudicem. Alter est modus asystati, quem κατ' ἰσοτητα appellant. Nos tamen si nomen latinum dare non possumus, tamen vim intelligere debemus : nam cum eadem utrinque dicuntur, et nulla re, ne parva quidem, discernuntur, tamen hujusmodi πλέγμα, propter æqualitatem utriusque partis, statum implicat. Ut vicini adolescentuli, qui speciosas uxores habebant, noctu alter alterum obvium habuerunt, accusant invicem adulterii : nam quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat necesse est. Veri simile est te adulterium voluisse committere, quia adolescens es. Te quoque veri simile est voluisse, quia adolescens es. Veri simile est, quia speciosam uxorem habeo. Te quoque veri simile est, quia et ego speciosam uxorem habeo. Facultatem tibi vicinitas præbuit. Et tibi eadem vicinitas præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem in me incidisti? Nihil est quod distinguatur; et idcirco uter eorum sive accusat alterum, se criminatur; sive se purgat, defendit eum quem criminari videtur. Tertium est asystati genus, quod Græci κατ' ἑτερομέρειαν appellant, id est secundum alteram partem, cum reo nulla defensio est, et aut color in facto non invenitur, aut parum probabilis color invenitur. Unde etiam Democrates præceptor meus solitus erat dicere, eas etiam controversias, in quibus color diu quæritur, statum non habere. Verum ille constantius; nos, si afferatur aliquid ad defensionem vel mediocri-

ter probabile, admittimus. Sed si evidenter confessa causa est, ut oportet secundum heteromeriam exploremus. Nonnunquam incidunt quæstiones, maxime in veritate, quæ summam accusatori, nullam reo largiuntur facultatem : verum eas non controversias, sed communes locos dicimus : quippe est in his non probatio criminis, sed ut in expressum atque evidens facinus expressio. Quartus est modus asystati vel caliginosissimus, adeo ut nonnunquam doctis etiam hominibus soleat obrepere. Habet enim nonnullam speciem probabilis consistentisque materiæ. Ea est hujusmodi, in qua iudex ferendæ sententiæ rationem explorare non potest : hoc Græci ἀπορον vocant. Sed subjiciamus exemplum : Petebat ab alio usuram quasi pecuniæ creditæ : ille accepisse se pecuniam confitebatur, sed depositam; et idcirco velle se restituere sortem sine usura. Pendente interea iudicio, lex de novis tabulis lata est : repetit ille quasi depositam, ille retinet quasi creditam. Non enim video quid sit hic, quod in sententia ferenda iudex sequi possit, cum petitor idem interdum credidisse, interdum deposuisse se dicat; et ille alter interdum depositam accepisse, interdum creditam : et neuter sua priore, sed uterque alter alterius præterita sententia utatur.

CAPUT IX. — De figuris controversiarum.

Pertinere etiam nonnihil ad rem videtur scire figuras controversiarum, quibus invicem differat, quo magis in evidenti sit, quemadmodum quamque tractemus. Sunt igitur themata, id est figuræ controversiarum, quatuor : εὐδοξον, quod nos opinionis bonæ possumus dicere; ἀμφίδοξον, quod nos opinionis ex utroque, bono ac malo, confusæ possumus dicere; παράδοξον, quod nos opinionis malæ possumus dicere; tametsi quidam parum diligenter græce loquentes, paradoxon pro his quæ sunt bonæ opinionis, accipiunt. Unde vulgo etiam Olympionicas et cæteros victores sacrorum certaminum, paradoxos vocant, magis consuetudine quam ratione ducti : nam, ut opinor, παράδοξον est, quod est παρὰ τὴν δόξαν, id est contra opinionem bonam. Denique licet alias vulgares significationes probare malimus hujus nominis, tamen hoc loco, ut multa nova tam a technicis et mathematicis, quam a philosophis cognominantur, accipere debemus non tam pro solito usu consuetudinis, quam pro conditione præcepti. Quarta est species controversiæ, quæ græce ἀδοξος dicitur, quam nos non ut vulgo malæ opinionis, sed nullius opinionis dicimus, id est humilem et sordidam. Sed evidenter hæc propositis exemplis liquebunt. Εὐδοξος controversia hujusmodi est, in qua tam persona quam res est honesta; velut Scipio victis Pœnis petit in præmium ut spectet ludos laurea coronatus : et persona honesta est Scipionis, et quod petitur non improbum. Ἀμφίδοξος est, in qua vel honestatem personæ turpitudine rei maculat; velut si idem Scipio petat præmii nomine mortem Tiberii Asellii : nam petitoris persona honesta est; quod autem petitur inhonestum. Vel contra, si abdicatus fortiter fecerit, et petat præmii nomine redditum in domum patris : persona quæ petit, inhonesta abdicati; res quam petit, honesta ut in domum patris redeat. Παράδοξον est controversiæ genus, ut supra definebam, in quo utraque sunt inhonesta, tam res quam persona, velut impudicitiam reus fortiter fecit, petit præmii nomine accusatoris sui mortem : nam et persona petentis inhonesta est, siquidem fuit reus impudicitiam, tametsi aliquid turpitudini derogaverit, quod fortiter fecit; et res quam petit, improba. Ἀδοξος est controversiæ genus sine opinione utraque, humile et sordidum. Pauper vestimenta vendebat; exstitit alius pauper, qui vindicaret ea, et furto ablata sibi esse diceret : ille venditor ait, se ab adultero deprehenso illa vestimenta detraxisse : invicem accusant, ille adulterii, hic furti. Hic enim et personæ humiles pauperum, et res quæ videntur fecisse quæstionem, abjectæ, vestimentorum vindicatio et agnitio : et quanquam intervenerit crimen adulterii non abjectum tamen quia plura sunt ante περίστασις humilia

et sordida, totius controversiæ speciem sibi vindicant.

CAPUT X. — *Quid utilitatis præ se ferat figurarum ejusmodi agnitio.*

Dignoscere autem has controversiarum figuras, cum ad multa alia convenit, tum vel in primis ad id, ut modum præfandi, id est principia edendi, congruentem qualitati materiam invenire possimus: non enim eadem species debet esse principii in themate εὐδοξία et ἀμφιδόξια et παραδόξια, sed sua cuique forma tribuenda. Jam primum in εὐδοξία genere materiæ Hermagoras negat esse præfandum: nam si benevolentiae, inquit, conciliandæ gratia præfari solemus in bonæ opinionis themate, quale illud est Scipionis; benigni sunt hi, apud quos locuturi sumus: nihil autem attinet parare, quod paratum est. Sed mihi longe aliter videtur, et pace tanti viri dixerim: neque enim est semper spectanda auctoritas, utique cum ratione vincatur. Censeo igitur nihil prohibere in εὐδοξία genere materiæ, quominus præfemur. Nihil enim, opinor, mali est, benignos iudices benigniores reddere præfando, ut cum offensos adversariis videmus, offensionem illam dicendo augere conamur. Denique aulædos et citharædos et cæteros hujusmodi artifices, quamquam non polliceantur orationem, videmus tamen præloqui ante actionem. Et omnino curta et sine capite oratio est, quæ sine principio ab ipsis rebus orditur. Utemur etiam principiis in bonæ opinionis controversiis; sed brevioribus et rectoribus paulo, et confidentibus et plenis dignitatibus, sine jactantia duntaxat, ne res pariat invidiam: ut est illud apud M. Tullium contra concionem Metelli, in qua exultare videtur: *Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congregari non licet cum resistente* Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim orsus fuisset, nisi et ipsius actoris esset honesta persona, et res de qua locuturus erat, non improba. Itemque alio loco, cum de conjuratorum animadversione loqueretur: *Video, Patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos*: et deinceps. Quæ omnia hujusmodi sunt, ut actor et splendori suo et rebus his de quibus locuturus est, quasi honestissimis videatur merito confidere. Pleraque hujusmodi exordia apud Q. Gracchum, quanto nobilioris fuit spiritus, quæ dicentem profecto Merucium, aut aliquem ex Cannensi caterva nemo ferret. In ἀμφιδόξια genere materiæ moderatione quadam utendum erit, cum principiamus, ut et turpitudinem quæ subest (a), et dignitatem quæ est in re aut persona vel illustrando

(a) *Oblegendo minuamus.* Tale quiddam videtur deesse.

augeamus, vel ita varie utrumque misceamus, utriusque partis turpitudinem alterius honestas tegat, que tamen cum tanta jactatione, quanta in illo superiori genere materiæ, sed quasi cum quadam cedenti verecundia. Si in re turpitudine erit, quantum poterit, avocabimus iudicem ad personæ dignitatem. Si in persona, ad rei dignitatem quasi de periculo tutiorem locum refugiemus, sed summatim leviter cedentes, ut despiciere potius suspicionem meam quam timere videamur. Laborabimus autem in eadem confusa utraque dignitate rei et personæ, plus fidei in honestate, quam metus in turpitudine habere videamur. Sed ut limpidius hoc genus principii apprehendatur, dabo exemplum quod habuit M. Tullius cum pro M. Scauro loqueretur. Erat enim controversia ἀμφιδόξια; quippe qui niteretur dignitate personæ M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de personis repetundis. Utrumque in principio statim ita fudit orator, ut et turpitudinem criminis dignitatem personæ contegeret; neque tamen largiter nimirum neque exultanter, sed ita ut expromat nonnullam etiam metus suspicionem. *Maxime fuit operandum Scauro, iudices, ut nullo suscepto cujusdam odio, offensione ac malestia, et cætera.* In παραδόξια, id est in malæ opinionis themate, ubi et persona et dignitas pariter laborabit, longioribus principiis utendum, et purgandis suspicionibus opera tribuenda, et deinde loquendum, cum sententiis, tum verbis etiam profundam seditis, et querimonia quasi falsi illati criminis, et falsæ infamiæ compositæ adversum nos invidiam, etiam submissiore toto corpore conformata ad verecundiam, submisso vultu, oculis terram tentantibus; neque illa acriter, sed, si possumus, et timore simulato. In εὐδοξία, id est in humili genere materiæ, proxima sermoni debent esse principia; ne sententiis alte petitis, neque verbis ultra modum natis, neque structura graviore, sed quasi resoluta simplici. Vis autem omnium sententiarum, quam principiis adhibemus ea esse debet, ut rem a pietate revocet ad communitatem, et dicat omnem interesse illam rem vindicari: propterea quod quæque minora sunt, tanto crebrius et magis in multos cadere possint. Nec tam oportere spectari turpitudinem rerum et personarum, quam rationem æqui et iniqui, veri et falsi: eandem enim esse vim in minimis, quam in maximis. Talia principia sunt pleraque apud Demosthenem in iis libris inscribuntur Idiotici, et magis apud Lysiam, et a quosdam ex nostris veteribus. Certe Marcus Tullius cum pro Archia diceret, non aliter exorsus est.

ADMONITIO

DE SEQUENTI OPUSCULO.

Hoc opusculum una omnium eruditorum sententia abjudicatur Augustino. Apud Lucam Holstenium in indice Regularum, parte secunda, *Consensoria Monachorum* inscribitur, aptiore titulo. Attamen receptam dum in hac Appendice inscriptionem mutare visum non est, præsertim destitutis veterum librorum auctoritate quippe nullum hujus opusculi Ms. exemplar reperimus.

REGULÆ CLERICIS

TRADITÆ FRAGMENTUM.

Communi definitione decrevimus apud nos, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi. Residentibus nobis in monasterio, in nomine Domini nostri Jesu Christi, omnibus placuit secundum apostolicam traditionem, unum sentire in Domino et communiter possidere. Sicut scriptum est: *Unum sentite in Domino* (Sap. 1, 1). Et nemo quidem proprium sibi vindicet quidquam, sed fiat sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, *Habentes omnia communia, nemo quidquam esse suum dicebat* (Act. 11, 44, et 17, 32). Quod a nobis scriptum est. In Domino ergo jure

observationis nos teneamus, et in eo usque in fine permaneamus: quoniam in lege scriptum est, *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. 22). Si quis autem venire desiderat ad congregationem fratrum, qui in unum esse videntur, non igno- Evangelii dictum, quod dixit: *Vendat omnia sua et eroget egenis et pauperibus* (Id. 19, 21). Et iterum *Abneget semetipsum, sibi tollat et crucem suam, et sequatur me* (Luc. 14, 23). Et ne tractet in corde de victu aut vestitu, et cæteris quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino præmonente in Evangelio